Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift



discipulos tanquam uetera uestimenta dicit. Quibus incuueni
entur nouus pannus assuitur id est aliqua particula doctrine
que ad noue uite temperantiam pertinet. quia si hoc fit et ipsa
doctrina quodammodo scinditur. cuius particula que ad ieiunium ciborum
ualet importune traditur: cum illa doceat generale ieiunium
non accupiscentia ciborum tantum sed ab omni letitia temporalium
delectationum. Cuius quasi pannum id est partem aliquam que ad
cibos pertinet dicit non oportere hominibus adhuc ueteri consue
tudini deditis impertiri. quia et illinc quasi concissio uidetur fieri
et ipsi uetustati non conuenit. Et nemo mittit uinum
nouellum in utres ueteres. alioquin disrumpet uinum utres.
et uinum effunditur et utres peribunt. sed uinum nouum in utres
nouos mitti debet. Cosdem quoque ueteribus comparat utribus
quos uino nouo id est spiritalibus preceptis facilius disrumpi quam
id posse continere dicit. Erant autem iam utres noui cum post
ascensum domini desiderio consolationis eius orando et sperando
innouantur. Tunc enim acceperunt spiritum sanctum. Quo impleti
cum linguis omnibus loquerentur a iudeis nescientibus sed tamen
uere attestantibus dictum est. quia musto pleni sunt isti. Nouum
et enim uinum iam nouis utribus uenerat hoc est spiritus sancti feruor
spiritalium corda repleuerat. Aliter. Cauendum est doctori ne
anime nondum renouate sed in uetustate malicie perduranti
nouorum mysteriorum secreta committat. Quod si querit aliquis quid
intra uinum nouum mystice et uestimentum dicte nouum facile
patet quia uino intus reficimur et inebriamur. uestimento autem forin
secus induimur. Cum uero utrumque ad significantiam uite pertinet
spiritalis uestimentum profecto opera nostra bona que foras agimus
et quibus coram hominibus lucemus insinuat. uino autem nouo feruor
fidei spei et caritatis quo in conspectu nostri conditoris innouitate